

Differtt. miscell.
vol. 51. G. IX. 33



23 14
1657
14.

Quindecim Positiones

De

Quatuor Summis

Imperiis,

PRÆSIDE,

MICHAELĒ VVENDELE-

RO, D. P. P. & p. t. Decano

publicè proponit

M. VVOLFEGANGUS CHRISTO-

PHORUS WENNERUS, Creilshemio-

Francus

In auditorio minori, horis matutinis, die 31. Octobris

Anno 1657.

WITTEBERGÆ.

Exscribat Johannes Haken.





Positiones.

I.

DOctrina de quatuor mundi regnis clarissimis non ex Philosophiâ, sed sacris literis tantum hauritur. Nam de his agit solus Propheta Daniel *cap. 2. & 7.*

II. In secundo capite quatuor regna mundi representantur sub imagine grandis statuæ, quæ Nabuchodonosori noctu offertur, & ex diversâ maximeque dissimili materiâ constat *cap. 2. v. 31.* Interpretationem subjungit Propheta in eodê capite *v. 37. & seq.*

III. Similitudo statuæ ad imperia non in materiâ principaliter, sed in diversis corporis partibus sita est. Nam aureum caput Monarchiam Assyriacam, pectus argenteum Persicam, venter æneus Græcam, & denique crura & pedes partim lutei, partim ferrei Romanam denotant: quod ex ipsius Danielis interpretatione manifestum est.

IV. Certum quoque est, quod non significantur quatuor Monarchæ Babylonici, in sensu Philosophico sumti, qui ordine futuri sunt, cum Propheta nomet regnum alterum & tertium & quartum, & præterea Nabuchodonosori liquido aperiat, Deum regna transferre, hoc est, ut Scriptura alibi explicat, de gente in gentem.

V. Non particularia, sed talia designari regna, quæ alia sub se complectuntur, inde confirmatur, quod primum Babyloniorum regnum illustribus à Daniele depingatur nominibus, scilicet illud esse regnum regnorum, instructum potentiâ, firmitate & gloriâ.

VI. Quamvis tria reliqua regna primo non sint paria, tamen in eo necessario convenire debent, quod ipsa quoque Monarchicum splendorem, qualis à Daniele indicatur, habeant, & reges illorum aliis regibus dominantur, alij quidem pluribus, alij paucioribus.

VII. Tandem manifestum omnibus est, Danielem describere

bere summa mundi imperia, quæ ad finem mundi duratura, ac Ecclesiæ datura locum sint. Nam hæc imperia non sunt interitura prius, quàm Christus, qui est spiritualis ille lapis, de mōte absq; manibus evulsus, ea omnia & singula comminuat, & profus aboleat, regnumq; æternum & cœleste instituat, sicut v. 31. & 44. Propheta Daniel docet,

VIII. Primum summorum mundi imperiorum regnum fuisse penes Asyriacos & Babylonicos, nemo eruditorum unquam dubitavit, cum & Propheta id ipsum clarè indicet, ubi in personâ Nabuchodonosoris totum Babylonicorum imperium v. 37. & 38. describit; & Moses c. 10. Gen. annotaverit, hoc regnum in mundo fuisse omnium primum.

IX. Secundam Monarchiam inchoasse Cyrum, Persarum regem, cum Dario, *cap. 5.* Danielis docet, ubi manus de pariete, Balthasari clarè significat, finem regni Babylonicis adesse, novumq; imperium inchoatum iri. Mox idem Daniel eo in loco subjicit, divisum, seu avulsum, esse regnum, & datum Medis ac Persis.

X. Tertium regnum esse Græcorum, indè liquet, quòd illud regnum sit dominaturum universæ terræ. Neutrum autem ex prioribus suos eò usq; protulit limites. Solus Alexander extitit primus, qui totum sibi subjecit mundum.

XI. Quartum regnum esse Romanorum, tria potissimum evincunt. Nam primò eventus id ipsum docet. Cum enim Græcorum imperium, defuncto Alexandro Magno, in quatuor partes esset divisum, nullum eidem sucescit, quod totum mundum vicerit, quàm Romanum. Deindè quia à Daniele claris dicitur verbis, tempore regnorum istorum Christum esse expectandum. Cum autem sub Romanâ Monarchiâ natus sit, necesse est, Romanum imperium esse unum & quidem postremum è quatuor universalibus regnis. Deniq; omnia ea, quæ de terreis pedib; luto permistis, dicuntur, Romano tantum conveniunt imperio.

XII. Eadem visio de quatuor Monarchiis, licet aliâ formâ & modo, post annos quinquaginta septè, à Deo Daniel ostenditur. Prima Monarchia formâ Leonis exhibetur, secunda figurâ urfi, tertia imagine Pardi, quartâ deniq; seu Romana, introducit sub

bestiâ ignotæ speciei. Verba sacri codicis, quæ huc pertinent, ex-
tant cap. 17. v. 2. usq; ad finem.

XIII. Per cornu parvulum Turcicus designatur Tyrannus. Nam si omnes in toto mundo reges consideras, nullus reperietur usquam, cui omnia, quæ corniculo huic assignantur, tam exactè competant, quàm Mahometanus imperator.

XIV. Interitus horum regnorum futurus est in extremo iudicio v. 9. & seqq. Quòd autem hic de ultimo adventu agatur, aliquot argumentis probari potest. Nam dicitur, quòd Christus sit venturus in nubibus cœli instructus infinitâ potentiâ & maiestate, ad iudicandum, unâ cum assessoribus; quod aperiantur libri & quatuor regna mundi, per quatuor bestias expressa, prorsus aboleantur; quodq; regnum & potestas & magnitudo regni, quæ est subter omne cœlum, danda sit populo sanctorum altissimi.

XV. His autem loquendi modis ultimum Christi adventum describi, ex N. T. confirmari potest. Nubium, potentiæ & gloriæ imaginæ fit mentio *Matth.* 24. v. 30. assessorum & throni c. 19. v. 28. librorum aperiendorum *Apoc.* 20. v. 12. & regni à sanctis possidendi *Matth.*

25. v. 34.



Aug. VI 215

ULB Halle
001 923 099


3



TA → OL

VD 17 Z







23 14
1657
14.

Quindecim Positiones
De
Quatuor Summis
Imperiis,
PRÆSIDE,
MICHAELE VVENDELE-
RO, D. P. P. & p. t. Decano
publicè proponit
M. VVOLFFGANGUS CHRISTO-
PHORUS WENNERUS, Creilshemio-
Francus
In auditorio minori, horis matutinis, die 31. Octobris
Anno 1657.

WITTEBERGÆ.
Exscribebat Iohannes Haken.

